

**05
A
1268**

JUVANTE DEO
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
Dn. FRIDERICO VVILHELMO,
MARCH. BRANDENB. ELECTORATUS HÆREDE,
&c. &c. &c.

VINDICATIONEM
REGULARUM
METHODI CARTE-
SIANÆ
adversus 

Impugnatorem quendam Cla-
risimum,

Consensu Amplissimi Ord. Philosoph.
PRO LOCO

IN EODEM RITE OBTINENDO,
Ea, quā par est, modestiā & observantiā, institutam,
ulteriori Eruditorum disquisitioni submittit

M. GUSTAVUS PHILIPPUS

MÖRL, Noriberg.

RESPONDENTE

EPHRAIMO PETROSELINO ex Com. Trencin. Hung.

Poët. Laur. Cæsar.

HALÆ, d. 22. Sept. An. 1695.

TYPIS CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, ACAD. TYP.



05 A 1268

1268



Præfatio ad Lectorem.

Tisi Philosophia Cartesiana tam in ipso
Cartesio, quam in aliis Viris Eruditissi-
mis tantos defensores ac Patronos na-
ceta fuerit, ut meam tutelam emendicare opus
non habeat; neque etiam ego is sim, qui vel
possim, vel velim Renati dogmata omnia atque
singula pro aris & focis tueri ac vindicare; nec
denique Objectiones adversariorum omnes tanto
robore polleant, ut prolixam refutationem po-
stulent atque requirant: tamen non abs re esse
putavi, pro materia præsentis disquisitionis elige-
re novum quoddam Thema Cartesianum; par-
tim, ut haberem in quo ingenium exercerem, nec
exscribendo alios autores paginas meas implerem;
partim, ut pro viribus à DÉO concessis Veritati suc-
curram, cum forsan non planè nulli sint, qui
adversarii nostri vestigia prementes, nimium
quantum confidant argumentis ejus. Quæ præ-
monere opera pretium esse duxi. Interim Va-
le, & si placebit, mihi Fave.

A

AD

AD GLORIAM DEI!

TH. I.

Quemadmodum Magnus ille Cartesius ex dura nimis & gravi Scholasticorum servitute ac autoritatis in Philosophia captivitate fese in libertatem vindicavit , omnibusque Philosophiae cultoribus eandem licentiam non tam permisit , quam injunxit ; ita etiam omni ferè tempore fuerunt , qui hoc privilegio gavisi sunt , & variis modis contra ipsum Cartesium usurparunt , eumque oppugnarunt . Et sanè hoc ipso nihil censore virgula dignum isti commiserunt , cum potius secundum propria Cartesii effata magnum momentum conferat ad declarandum veritatem , si quisque libertate sobriè philosophandi fruatur . At enim verò hoc saltem ab ipsis iterum contendimus , ut idem jus nobis concedant , liberè nempe inquirendi in eorum castigationes , an semper urgentibus causis fuerint institutæ , præsertim si debita modestia & in Viros Claros obseruantia fiat . Quare etiam non dubitabimus de illorum æquitate : & præsenti quidem opera brevissimè vindicabimus Regulas Methodi Cartesianæ , cum quibusdam materiis cognatis , adversus quas non adeò longo tempore abhinc Vir satis Celebris , suppresse tamen nomine impræsentiarum exhibendus , tela sua direxit .

II. Locus ergo qui à Nostro adversario (liceat hoc nomine porrò appellare eum , qui adversas partes tenet) oppugnatur ; à nobis autem vindicandus est , exstat Dissert. de Meth. p. m. 10. ubi quatuor Regulas , quas sibi ipsi Cartesius dedit , cum investigaret veritatem , proponit . Prima harum ita habet : *Primum erat , ut nihil unquam veluti verum admitterem , nisi quod certò & evidenter verum esse cognoscerem ; hoc est , ut omnem precipitantiam atque anticipationem in judicando diligenter , quam quod tam claram & distinctè ratione mea patet , ut nullo modo in dubium possem revocare . Mox addit : existimavi dummodo nihil (in iis quæ nostræ cognitioni subsunt) falsum pro vero ad-*

*ro admittamus, semperq; ordinem quo una ex aliis deduci pos-
sunt obseruenus, nulla esse tam remota, ad quæ tandem
non perveniamus, nec tām occulta, quæ non de-
tegamus.*

III. Cum verò Cartesius hic extra dubium loquatur de cogni-
tione naturali, non autem supernaturali & gratiosa, pro ingenti
errore habet adversarius, *quod eō usque rationis facultatem
sanam sibi concipiāt, ut nullo alio lumine quam naturali, eō-
que quod nunc habet, opus sibi esse putet, ad cognoscendas res
remotissimas & maximè occultas* Supponit nempe, tanquam
inter Christianos, intellectum nostrum esse corruptum ad instar il-
lius, qui in tenebris versatur, adeoque oculis percipere nequit,
quæ ibi sunt. Quando ergo intellectui huic tantum tribuit,
Cartesius, *perinde esse, ac si, qui in tenebris nonnulla
corpora facultate palpandi percipiunt, putarent nihil tam re-
motum ac occultum esse, quod sua palpatione non possint de-
tegere atque cognoscere, &c.*

IV. Hæc sunt quæ contra Cartesium prolata fuēre, ad quo-
rum resolutionem notandum est, duo dari objectorum intelle-
ctus nostri genera; unum, quod comprehendit τὰ ἐπιθετικά.
τὰ δεῖ, seu quæ ad mysteria, & ad salutem nostram spectant;
τὸν οὐφίαν ἀποκενουμένων. &c. alterum, quod sub se habet res
naturales seu physicas, mathematicas, DEUM ipsum suo modo,
artem Logicam &c. Seu quod eodem recidit; alia objecta co-
gnoscuntur ex solis scripturis & revelatione divina, ita ut alias
non cognoscerentur; alia autem etiam constant illis, qui tali re-
velatione destituntur. Illa uti per solum verbum DEI manife-
stantur, ita etiam ad sui veram & vivam cognitionem utique a-
liò, quam solò rationis lumine indigent. Et sic auctor hic ad-
versarius à vero non abludit, quando quædam lumen naturæ ex-
cedere dicit, nempe illa quæ ad salutem nostram spectant & per so-
lam revelationem cognoscuntur. At verò hoc modò non tangit
statum controversiæ, nec contradicit Cartesio, cui planè de alio
objecto sermo est.

V. Excludit quippe ipse Cartesius non uno loco res revelatas à judicio rationis, easque suo peculiari cognoscendi principio relinquunt, quod ut probatum demus, pauca saltem loca sub jungemus. Insignis extat Princip. Philos. P. I. §. 15. *Si forte Nobis DEUS de scipso, vel alii aliquid revelet, quod naturales ingenii nostri vires excedat, qualia jam sunt mysteria incarnationis, & Trinitatis non recusabimus illa credere, quamvis non clarè intelligamus.* Commodè autem ad rem præsentem scribit ipsâ Dissert. de Methodo, p. m. 4. *Theologiam nostram reverebar, nec minus quam quivis aliis beatitudinis eterna compos fieri exceptabam. Sed cum pro certo atque explorato accipissim, iter quod ad illam dicit doctis non magis patere, quam indoctis, veritatesq. à DEO revelatas humani ingenii captum excedere, verebar ne in temeritatis crimen incidarem, si illas imbecilla rationis mea examini subjecarem.* Et quicunq. iis recognoscendis atque interpretandis vacare audent, NB. peculiari ad hoc DEI gratia indigere, ac supra vulgarium hominum sortem positi esse debere mihi videbantur. Tertius locus sit s. ult. P. I. Princ. Philos. his verbis conceptus; *Præter cetera autem, memoria nostra NB. pro summa regula est infigidendum, ea quo nobis à DEO revelata sunt, ut omnium certissima esse credenda;* Et quamvis forte lumen rationis, quammaxime clarum & evidens, aliud quid nobis suggere-re videretur, soli tamen auctoritati divinae potius, quam proprio nostro judicio, fidem esse adhibendam: sed in iis, de quibus fides divina nihil nos docet minimè decere hominem philosophum, aliquid pro vero assumere, quod verum esse nunquam perspexit. Sanè hic locus ideo adducendus imprimis fuit, quia non solum eandem nostram distinctionem inter res ad DEO revelatas, & inter res de quibus fides divina nihil docet, antea à nobis traditam, exhibet; sed &, quod emphaticè hunc Canonem de rebus divinis *pro summa Regula* vendit, quæ adeo deroget omnibus cæteris quomodo cunque conceptis. VI. Sed

VI. Sed fortasse ipse adversarius cogetur haec tenus dicta de Cartesio admittere, cum discipulos Cartesii *cā modestiā*, quā *Cartesius ipse, non fuisse* dicit (ēodem scripto, quod nunc consideramus) *ut divino lumini revelationique rationem ejusq; claram distinctam, perceptionem postponendam esse agnoscerent.* At enim verò, ubi scriptor aliquis ipse fatetur, prout facit Cartesius, veritates à DEO revelatas humani ingenii captum excedere, & peculiari nos DEI gratia indigere, ad eas cognoscendas; regulæ interpretationis omnino poscunt, ut alia ejus dicta ita interpretemur, ne sibi ipsi contrarius sit autor. Vid. Celeberr. Thomas. Praxin. Log. p. 181. 186.

VII. Quod autem ad res naturales & philosophicas attinet, tanquam alteram classem, nobis omnino cum Cartesio verior sententia videtur, quod ad illas sufficiat lumen naturæ, modò quasdam limitationes subintelligamus. Sc. (1.) non esse sermonem de cognitione viva & intima vel sapida, vid. Ebr. 6. 4. 5. & 1. Pet. 2. 3. sed saltem de cognitione quasi literali & potissimum speculativa. (2) non respici hic ad casus extraordinarios, sed viam communem, quā nobis DEUS ad cognitionem naturalium venire concedit: Quemadmodum enim Apostoli linguis diligentia propria alias addiscendas, supernaturali influxu calluerunt; (vocantur in scholis habitus infusi per accidens) ita etiam in istis casibus largimur, quod interdum DEUS specialiter concurrat ad talem cognitionem, prout indicat Exod. c. 31. Nostrique Theologi similiter agnoscunt. vid. Chemnit. LL. P. I. p. 171. (3.) nos non loqui de omnibus circumstantiis circa res naturales, ita enim, quamvis lumen naturæ suadeat aliquando creatum esse hunc mundum, nihilominus certum est, id non posse indagare, quod præcisè sex diebus, hoc vel isto ordine &c. creatus fuerit. (4.) denique concedere nos ambabus manibus, dari adhuc multa arcana in rerum natura, nostro intellegui, haud pervestigabilia, vel saltem conjecturis tractandas, quemadmodum Syrach c. 43. 36. afferit: *Multa abscondita sunt operum ejus majora his, pauca viderimus illorum.*

VIII. In cæteris autem nulli dubitamus affirmare, quin lumini naturæ pateant. Quis enim tam ignarus est, qui nesciat, non solum

inter Gentiles fuisse, vitâ pessimos, & gravissimis erroribus circa res divinas contaminatos, vel saltem maximè necessaria ad salutem ignorantes, qui interdum quoad cognitionem rerum naturalium & Philosophicarum superarunt ipsos Christianos; sed etiam in his multos inveniri, qui divini luminis carentiam per vitâ corruptionem declarant, & nihilo secius eximia eruditione pollut. Impossibile autem est, ut in talibus peculiare lumen divinum concipiamus, *quoniam in maleficam animam non introbit sapientia, nec habitabit in corpore subditio peccato.* Sap. I. v. 4. Ut adeo temerarium & multorum hodiernorum errantium dogmatibus consentaneum sit effugium adversarii, quando alibi lubentius in mentibus utut corruptissimis lumen supernaturale velit agnoscerre, quam nobiscum consentire. Quare etiam cognitionem de veritatibus officiorum humanorum tali peculiari operationi divina tribuit, immemor planè illius, quod Paulus dicat, *Gentiles φίοι facere ea quæ sunt legis;* illamque conscientię testificationem ostendere opus legis γεαντὸν ἐν ταῖς ναζδιαις αὐτῶν, adeoque non superveniens demum per peculiarem DEI gratiam. Sed ego memori esse debeo, quod in castris Philosophicis pugnem.

IX. Redeo igitur ad Cartesium de quo satis constat, quod non aliter, quam sub ante allatis limitationibus, rerum naturalium cognitionem lumini naturae tribuat. Quamvis enim valde latè loquatur, nihil nempe tam occultum, vel remotum esse; &c. tamen aliis in locis fines & terminos hujus cognitionis agnoscit. Describit quippe ipse Cartesius suam methodum *ita, ut si quis eam sequatur, haud dubie ad optatum finem sit perventurus* (sed cum limitatione) *nisi aut brevitate vita, aut experientiarum defectu impediatur.* Diss. de Meth. §. p. 33. Et P. I. Prin. Philos. §. 25. expressis verbis habet: *Nullo modo mirabimur multa esse, tum in immensa DEI natura, tum etiam in rebus ab eo creatis, que captum nostrum excedant.* Nihil ergo aliud significare voluit Cartesius, quam suam methodum ita esse perfectam in se, ut nisi aliquis defectus sit in subjecto, vel objecto, vel aliis requisitis, homo possit per lumen naturale pervenire ad cogni-

gnitionem rerum illarum omnium, quas DEUS lumine naturæ cognosci permisit & voluit. An verò in specie Methodus Cartesii ita sit comparata, distincta est quæstio à præsenti, quam nec adversarius hoc loco tractat, nec nos jam nostram facimus. In- cumbet ergo adversario ut probet, nullas planè dari res, quæ possint cognosci ex solo lumine naturæ, si juxta suum institu- tum Cartesium velit accuratè impugnare.

X. Evidem, ut sincerè agamus, non possumus negare, in alio scripto non solum adversarium hanc thesin suam fecisse, sed & duobus argumentis probare conatum fuisse. Ut igitur eò melius de veritate judicium ferre possit lector, considerabimus istum locum. Negat nempe adversarius, quod ipsa penitior rerum notitia, ultimusque fundus, ac pri- mus ortus per lumen nature detegi aut representari verè possit. Quoniam (1.) rerum fundus & ortus, vividus sit, nec non centralissimus tangens immediatè vividos DEI actus, quos prater DEUM atque illos quibus DEUS sese lumine suo communicat, concipere possunt nulli: (2.) quia representent intimas & admirandas DEI virtutes, simplices & complicatas, rerum omnium causas & origines. Atque his rationibus tantum tribuit, ut nisi quis iis assurgat, dolore potius quam explicatione eum indigere jaicit, cum tan- tū intelligantur ab iis, qui illarum experientiam habent, i.e. illuminati & renati sunt.

XI. Sed, missis iis quæ animo minus Christiano prof- runtur, nec non prætermisis aliis, quæ non ad nostram disce- ptationem faciunt (quale est: divisio virtutum DEI in sim- plices & complicatas, quæ postremè tollunt sanè ipsa voce simili- cissimam DEI simplicitatem, hancenit à Nostris traditam) fal- tem rem ipsam videbimus. Atque primò quidem responde- mus, si per penitorem rerum notitiam intelligatur viva & sapi- da earum cognitio; totum, quicquid est argumenti posse concedi, tanquam non attingens statum quæstionis, cum superius osten- sum fuerit, nobis non esse de ea sermonem. Secundò autem, si per

si per penitorem notitiam nihil aliud velit quam accuratam speculationem rerum; partim planè non sequi putamus hujus negationem, ex incognoscibilitate fundus & ortus rerum naturalium: Hoc equidem sequeretur, quod res quoad fundum & ortum non possint cognosci ex L. N. interim tamen possent alia cognosci, generaliter scilicet origo divina, specialiter autem rerum effectus, horumque connexio cum suis causis, de quibus Cartesium imprimis sermonem esse, nemo negabit: Vid. Princip. Philol. P. I. §. 28. partim verò, si fundus & ortus denotant creationem & conservationem rerum, dependentem ab admirandis DEI virtutibus, negamus quod fundus & ortus rerum simul cum DEI virtutibus non possit ex Lum. N. cognosci, adversariique assertionem aperte contrariam sacris literis cognoscimus. Sanè Apostolus Paulus cum supposisset Gentiles (solò lumine naturæ gaudentes) cognoscere res creatas, repræsentantes intimas & admirandas DEI virtutes, potius invertit argumentum, & concludit, Ergo etiam Gentiles potuisse cognoscere τὰ ἀόρατα τὸ θεῖον τὸν αἰδίον δυνάμων, τὸν θεότητα, invisibilia DEI, aeternam ejus potentiam & divinitatem. H. E. admirandas ejus virtutes, quas adversarius ex L. N. cognosci posse negavit.

XII. Atque hæc quoad priorem Regulam sufficere possunt. Cæteræ tanta prolixitate opus non habebunt. Secundum Regulam ita, nobis exhibet Cartesius: Alterum, ut difficultates, quas essem exanimaturus, in tot partes dividerem, quot expediret ad illas commodius resolvendas. Sed quoniam semel sibi proposuit adversarius, in omnibus Censorem Cartesii agere, ita, nec hanc regulam absque sua virgula dimittit. Accusat sc. Renatum, quod omiserit semper, ubi ad rem ventum est, primas, capitales, necessarias &c. distinctiones. Quo ipso tamen vel tacite concedit regulam ipsam posse, imò debere locum habere. Unde etiam hac sua accusatione nihil contra Cartesium evincere poterit. Constatuit quippe, quod velit ostendere falsitatem regularum Cartesianarum in se, & quod is qui usurpaverit eas, non possit ad veritatem pervenire, ut potè ad quam nullam

nullam proportionem & connexionem habeant. Hoc sufficien-
tissime inde apparet, quod suas Regulas de novo propositas op-
ponat Regulis Cartesii ita, ut per illas solas possit veritas erui,
per has autem planè non. Verba ejus sunt: *Has regulas* (suas
intelligit) *qui observabit, multò verius & tutius se ad solidam ve-*
ritatis fontem; & hinc manentes (scrib. manantes) *ribus,*
per venturum animadverteret, quam observatione ipsius Car-
tesiana methodi, cuius quidem leges quaternae suis navis er-
atisq; non desituuntur. Idem etiam inculcat porrò: *Solis,*
inquit, *regulis & legibus, quas scenario inclusimus numero po-*
test veritas solidam & integrā debitē queri & inveniri. At se-
ne illis nulla vis ingenii pertinget unquam ad acquisitionem
veritatum, quibus mens destituitur & indiget.

XIII. Insignis autem est differentia inter Regulam & illius applicationem, ita, ut ista bona, hæc autem mala esse possit. v. g.
distinguere res in se est bonum & utile, imò necessarium, atta-
men hoc vel isto modo eas distinguere potest esse malum, & in-
utile. Quare cum adversarius regulam regulæ, non autem ap-
plicationem applicationi opponat, debuisset sanè etiam regulis
ipsis insistere, atque per singulas regulas Cartesii ostendere,
quomodo aut veritati obsint, aut saltem nihil ad eam confe-
rant, non autem ad applicationem delabi: alias enim datur uti-
que modus à suo distinctus, vi cuius (saltem rectè adhibetur)
mens humana ad veritatem pertingere potest, nec tam ob ne-
glectum Regularum adversarii Cartesius cum suis in multa in-
cidisset errata, quam quod suas proprias regulas non rectè adhi-
buerit, qua omnia adversarii verbis repugnant. Quod si vero
vel maximè etiam de applicatione contendere velimus, non ta-
men tangeret objec̄io allata Cartesium. Nihil enim hic aliud
per suam regulam voluit Cartesius, quam evitare fallaciam
plurium interrogationum, dividendo seu sejungendo nempe
quæstiones varias à se invicem; non autem loquitur de divisio-
nibus seu differentiis rerum in se, ad tertiam regulam demum
considerandis, & quales adversarius hic addacit, v. g. quod ali-

quæ sint aternæ, alia temporariæ, alia sufficiētes, alia arbitriariorū &c. Non ergo omisit Cartesius, quod hic afferre planè non tenebatur.

XIV. Ad tertiam Regulam nunc accessum facimus, quam ita nobis exhibet Cartesius: *Tertium, ut Cogitationes meas quas veritati quarende impenderem certo semper ordine promoverem: incipiendo sc. à rebus simplicissimis & cognitu facillimis, ut paulatim & quasi per gradus ad difficiliorum & magis compositarum cognitionem ascenderem; in aliquem etiam ordinem illas mente disponendo, qua se mutuo ex naturâ suâ non præcedunt.* Sanè si ullibi, hic apparet, quod absque ulla causa adversarius Cartesium oppugnet. Nam primò tantum abest, ut possit Cartesium vitii reum postulare, quando in hac tertia Regula ordinem in philosophando requirit, ut potius ipsius adversarii prima Regula sit: *Ea quæ sunt, ut rectè siant, ordine fieri debent.* Nec secundò id culpat, quod Cartesius ordinem teneat, incipiendo à simplicioribus & cognitu facilioribus, progrediendo ad magis composita & difficiliora, ut magis hoc ipsum commendet & laudet. Unde merito quæras, quidnam demum illud sit, quod tantâ censurâ opus habeat?

XV. Enī repetit istud, quod debuisset maximè ad distinctiones rerum in aternas & temporarias; in sufficiētes & arbitriarias; in activas & pasivas, in superiores & inferiores &c. respicere: & in aggredienda re post generale illud COGITO, ad earum plerasque attendisse &c. Quod si verò ista simplicissima & facilissima de futilibus fuerint & nugacibus, ita ut accessoria necessariis, corrupta sanis, activas pasivas &c. præponantur, erratum primum omnium eo ipso committi. Verba hæc ex variis adversarii locis sunt contraria. Quis autem non videt, hic iterum regulam ipsam cum ejus applicatione confundi? vid. §. V. Faciat, per nos licet, initium adversarius à suis distinctionib⁹, anne ideo aliquid decederet Regula Cartesii? Nihil planè. Nam agnoscit ipse adversarius,

quod

quod in unaquaque harum distinctionum à simplicissimis & cognitu facillimis poterit duci exordium, & eodem tenore, ulterius porrò res penetrari. Ita benè demum & ordinatim progressum fieri posse. Ut adeo, ipso consentiente, distinctio rerum in simplices & compositas, cæteras transcendat, & per illas vagetur. In specialioribus verò distinctionibus idem planè quoad rem inculcat Cartesius cum adversario, quando dicit: *in aliquem etiam ordinem mente disponendo ea, que se mutuo ex natura sua non præcedunt.* Jamjam ergo præsupponit, quod alias ordo, quem ipsa natura docet, debeat servari, cum autem, adversario fatente, natura doceat, quod necessaria accessoriis, activa passivis &c. debeant præponi; implicitè sanè Cartesius cum adversario consentit. Cur ergò opponit, quæ sibi subordinantur? & oppugnat unum per alterum, qua tamen sese invicem includunt? Cæterum autem redit istud quod praxis Cartesii non sit ipsa Regula, sed applicatio Regulæ.

XVI. Verum enim verò, ut ex abundantι addamus, nec ipsa praxis Cartesii tam longè recedit a positis ab adversario distinctionibus, quantum forsan putat. Præposuit nempe Cartesius necessaria accessoriis, partim, quando prius de M. H. & DEO, quorum existentia, illius quidem hypotheticè, hujus verò absolute est necessaria, quam de corporibus egit; partim, quando primò statim tam anxiè in essentiam M. H. inquirit, haud sollicitus de iis, quæ accidentaliter accedunt: præposuit activa passivis, quando primò locò agit de spiritibus, & post hos demum de corporibus: proposuit superiora inferioribus, ex eadem nunc adducta ratione. Quod autem non statim primo loco egerit de DEO, sed præmiserit cognitionem mentis suæ, certè in malam partem trahi non potest quoniam DEUS cognoscitur τοῖς πνίμασι, ex operibus. Ad quartam regulam non opus habemus ut multa adjiciamus. Quoniam enim adversarius saltem provocat ad suas præcedentes objectiones; ideo etiam nos lectorum remittere possumus ad præcedentes iis additas responsiones. Regula ipsa poterit legi apud Cartesium,

XVII. Coronidis loco nunc porrò dispiciendum, quid de Discipulis Cartesii adjiciat adversarius. Quippe non satis habuit, quod Regulas ipsas accusaverit, sed etiam ostendere voluit, in quasnam absurditates Discipuli Cartesii sepe præcipites dederint per philosophiam Cartesianam: atque in hunc finem nominat, imprimis Spinosam & Bekkerum. Scilicet ut ex horum autorum malitia novus invidiæ cumulus philosophiæ Cartesianaæ adcrescat, eos tanquam discipulos ejus doctrinæ venditat, more eorum, qui cuncta dogmata recentiora ad Philosophiam Cartesianam referunt. Quod sanè candorem Christianum & non fucatam pietatem lädere, nemo non videt. Nam concedunt plerique, quod Spinoza in scriptis suis, præcipue autem in Tract. Theol. Politico Atheistica dogmata, & prorsus impia tradat, v. g. (adducente ipso adversario) quod expellat omne lumen divinum: quod omnia dicat dependere à Fato, quod deinde nihil factum esse statuat ad aliquem finem. Hæc omnia autem originem habere ex Philosophia Cartesiana, nobis persuadere vult adversarius.

XIX. At verò, ut brevitatis causa, ultimum exemplum tantum nunc consideremus, provocat ad sententiam Cartesii, qui causas finales in rerum naturæ constitutione negavit, ubi quidem fatemur, quod Cartesius à multis doctissimis Viris castigetur, quando causas finales ex Demonstrationibus physicis exclusit, inter quos etiam est Celeberr. Dn. Sturm. Phys. Concil. p. 12. & Philos. Eclect. p. 144. 145. Nec nos patrocinium Cartesii in hac parte fuscipiemus. Sed tamen hoc probè tenendum est, Cartesum non negasse, dari causas finales rerum creatarum, quemadmodum Spinozam id negasse agnoscit adversarius: imò potius asseruisse, ut patet ex §. 28. P. I. Philos. Princ. sed hoc tantum negavit, non posse demonstrationes peti ex causa finali. Ver-santur igitur in terminis contradictoriis Cartesius, & Spinoza, ut, quod Cartesius asseruit, Spinoza neget. Quā ergo, quæso, fide poterit adversarius dogma Spinozæ, tanquam fructum philosophiæ Cartes. allegare? nisi ipsi, doctrinæ alicujus abuti, imò contradicere; & discipulum alicujus esse, unum idemque sit. Accedit

dit ipsa Confessio Spinoſæ , quā expreſſe pronunciavit, ſuę philoſophiæ principia à Carteſianis multum diſfidere , prout hoc plu-
ra que alia de Spinoſa monet antea laud. Dn. Sturm. Diſſ. de Cartes.
& Cartes. §. 12. ſimul autem addit: non erat profeſtō tacendum
iſtud (ſc. qua ratione ad tam impias ſententias perverterit Spinoſa)
ne forte pernicioſiſtas illas , & Chriſtianiſmuſum, imò religio-
nem omnem, penitus evertentes opiniones ſub ſpecioſo Philoſo-
phiā Carteſiana nomine admitterent incautiores , aut huic
iſpi, hoc caſu, profeſtō innocentifimæ, iuidiam inde
porrò creare , & per hujus latus omnem philoſophiam recen-
tiorem pungere, pergerent malevoli.

XIX. Alterum autem, Bekkerum nempe , eādem injuriā di-
ſcipulum Carteſii judicat adverſarius , cum is neque ratione fuę
hypotheſeos , neque ratione fundamenti ejus , cum Carteſio idem
ſemiat. Hypothesis ipsa eſt: Spiritus non poſſe agere in corpora.
Sed ubi hoc unquam docuit Carteſius & genuini ejus aſſeclæ? Po-
tiuſ hinc inde explicarunt vinculum iſtud inter mentem & corpus ,
nec non quod spiritus etiam ſeparati poſſint in corpora agere. vid.
de la Forg. p. 204. & alia occaſione forſan oſtendetur , quomodo
Phil. Carteſ. faciat ad deſtruptionem hypotheſium Bekkerianarum.
Fundamentum autem hypotheſeos Bekk. eſſe dicitur ab adverſario,
quod ſcripturas ad normam rationis exigere velit. Sit ita: Nun-
quam verò Carteſius rationi dominium in rebus fidei concesſit ,
quod ſupra jamjam eviciimus. Imò ſi qui etiam eſtent, qui Carteſianos ſe proſiterentur , & tamen incautē res ſacras involarent, hoc
iſpo proderent , ſe eſſe Pseudo-Carteſianos. Quare etiam Dn.
Sturm. l. c. eos alloquitur: *Audite, queſo, Theologasti auda-
culi, quæ paſſim in ſcriptis ſuis monet, (ſc. de rebus ſacris) quem
tantū faciatis, Carteſius!* & ſubjugit dein loca ex Carteſio. Nos
hic vela contrahimus , & legibus tam ſinceritatis quam huma-
nitatis & modeſtiae ſatisfecisſe ſperamus.

SOLI DEO GLORIA.

COR-



COROLLARIA.

I.

QUAMVIS Celeberr: Pufendorffius l.6.c.1. de J N & G. judicium suspenderit, de quæstione: an polygamia repugnet juri naturæ; tamen falli eos putamus, qui Pufendorffium magis in negativam, quam affirmativam inclinare statuūt. Convenientius doctrinæ ejus nobis videtur, dicere, Polygamiam esse contra Jus Naturæ.

II. Cognoscitur quidem ex Lumine Naturæ, certò paratam esse pœnam peccantibus in DEum; de præmio autē s. vita æterna, bonis futuro nihil certò cognoscitur.

III. Si Immortalitas idem est, ac duratio in æternum, insufficiens nobis videtur ratio pro immortalitate animæ, ab ejus essentia seu natura desumpta.

IV. Ens, de DEO & Creaturis; Substantia & accidente non prædicatur analogicè vel æquivocè, ut multi putarunt, sed univocè.

V. Non erubescimus, in quæstione: de origine mentis Humanæ; sententiam de Creatione, præ illa, de Traduce, amplecti, salvō tamen peccato originis.

VI. Απάλεια Stoicorum Philosopho dignam censemus.

VII. Senecæ ad stipulamur, quando l. 3. de Benef. c.29. asserit, posse aliquando liberos majora beneficia dare parentibus suis, quam acceperunt.

VIII. Plures quam unum mundum fieri, contradictionem involvit.

IX. Falsum est: Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.

X. Nec non istud: quod nihil nisi in imaginatione percipiamus.



05 A 1268

ULB Halle
003 765 636


3



VDA7



Farbkarte #13



*ZUVANTE DEO
ORE MAGNIFICENTISSIMO
NISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
ERICOVVILHELMO,
NDENB. ELECTORATUS HÆREDE,
&c. &c. &c.*
 VINDICATIONEM
GULARUM
THODICARTE-
SIANÆ
adversus
 natorem quendam Cla-
 risimum,
Amplissimi Ord. Philosoph.
PRO LOCO
 EODEM RITE OBTINENDO,
 est, modestiâ & observantia, institutam,
 ri Eruditorum disquisitioni submittit
TAVUS PHILIPPUS
MÖRL, Noriberg.
 RESPONDENTE
 PETROSELINO ex Com. Trencin. Hung.
 Poët. Laur. Cæsar.
 HALÆ, d. 22. Sept. An. 1695.
 TOPH. ANDREÆ ZEITLERI, ACAD. TYP.